

Ann. X.

ROMAE, Kal. Octobribus M DCCCC VII

Num. X.

VOX URBIS


DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

SEMEL IN MENSE PRODIT

Premium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 4,80;
ubique extra Italiam Lib. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in commentarii operculo
Lib. 0.10 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONIKĄ RODZINNA"

VARSAVIAE POLONORUM

Rakowskie Przedmiescie, 15.

IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES

VARSAVIAE POLONORUM

Krakowskie Przedmiescie, 6.

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET
S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

LONDON W.

28, Orchard Street.

RATISBONAE in BAVARIA.

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

MONTREAL

1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

De ingeniorum delectu ad studia litterarum habendo.

De re litteraria apud Subalpinos. — De historia.

De animantium migrationibus.

Horae subsecivae. — I. Pyxis inaurata. — II. Ciborium cereum.

Iacobus Barozzi cognomine "Il Vignola",

Philandri Bavari de aqua disputatio.

Acta Pontificia. — SS. D. N. Pii PP. X litterae encyclicae de Modernistarum doctrinis.

Diarium Vaticanum. — Coram SSmo admissiones. — Pontificiae electiones. — Vita
functi viri clariiores. — Varia.

Annales: — Mauritana res. — Haganus de pace conventus.

Publici per Orbem coetus legibus ferendis.

Per Orbem.

Librorum recensio.

Aenigmata.

In tertia operculi pagina:

ZENO - Tragoedia JOSEPHI SIMONIS Angli. (Passim retractavit hodiernisque scenis
aptavit I. F.).

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

M DCCCC VII



T. ET G. FRATRUM PARISI
**Pontificia officina Candalarum ad Sacra
Facularumque sine oleo ad noctem, decem horas ardentium.**

ROMAE in ITALIA, in Foro Campi Martii, 6

Peculiaris candalarum liturgicarum fabricatio ad S. Sacrificii celebrationem - Cerei Paschales - Lumen Christi - Cerei ad Officia Tenebrarum - Cerei ornamenti decori ad baptismata et Sacram Synaxim primum recipiendam - Filum cera madefactum ad candelas accendendas.

Merces ad omnes orbis portus nullo impendio iubentium, ne pro colligatione quidem, mittitur.

REQUIRANTUR CATALOGUS ET PRETIA

Officinae honores concessere Summi Pontifices PIUS IX, LEO XIII, PIUS X.

Commercium epistolare habetur Italica, Latina, Anglicana, Gallica, Theutonica, Hispanica lingua.

Sociis et lectoribus officinam hanc Candalarum ad Sacra enixe commendamus,
quae per orbem universum operis sua fructus iamiam disseminavit.

SUPELLEX AD RES DIVINAS

Commentarii VOX URBIS administratio recto tramite suppeditat supellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad VOCIS URBIS administratorem (Romam, via Alessandrina, 87) mittantur, res praecise indicando, quas quisque sibi cupit. Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

SATURIO

Comoedia latinis versibus conscripta a clarissimo viro Ioanne Baptista Francesia et per Commentarii VOX URBIS paginas vulgata, in volumen redacta est, quod apud Commentarii eiusdem administratorem venale prostat lib. 1.

☞ IN LUDIS LITTERARUM OPTIMA TIRONIBUS SCENICE AGENDI EXERCITATIO. ☞

De claris sodalibus provinciae Taurinensis Societatis Iesu commentarii conscripti et exornati a P. SALVATORE CASAGRANDI ex eadem provincia, ven. lib. 7 beneficio Missionum Montium Saxorum, Californiae et Alaskae S. I., VOX URBIS Sociis pretio lib. 4,50 conceduntur.

Qui sibi eos cupiat, ab auctore requirat Via Barbaroux, 28 — Torino.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 4,80 — Ubique extra Italiam:
Lib. 6,25, Doll. 1,25, Sch. 5, M. 5, Rubl. 3, Coron. 6,25

SEMEL IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR.
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

DE INGENIORUM DELECTU AD STUDIA LITTERARUM HABENDO

QUOD sint semperque fuerint homines sic mente, et ingenio destituti, ut ad optimorum artium studia inepti prorsus exsistant, nemini obscurum esse arbitror. Quemadmodum enim natura non omnibus agris fertilitatem est impertita, sed infoecundos sterilesque nonnullos deseruit, qui, quoewunque labore aut industria excolantur, frugem nullam afferunt; ita iuvenum ingenia aliquando videoas sic effoeta atque arida, ut ab iis nullus doctrinae fructus sit exspectandus. Eiusmodi olim fuisse sive caeli atque aëris crassitie, sive alio quovis eius regionis vitio Boeotii atque Thebani dicuntur, quos multum virium, ingenii minimum habuisse legimus. De Thracibus autem meminisse omnes puto quod Aristoteles tradidit, eos ingenio tam pingui fuisse ac memoria propemodum nulla, ut ne quaternarium quidem numerando transcendere valerent. Ex hoc nimirum genere procreatos crediderim esse non paucos adolescentes, quorum cum ingenii qui conflitatur, litus quidem arare, quod ajunt, aut Isthmum fodere suscepit. Haec tamen calamitas non tam saepe accideret, si bonarum artium professores aut misericordia erga miseris istiusmodi iuvenes commoti, aut conscientiae stimulis acti, Alabdensis Apollonii rhetoris praeclaro satis exemplo ineptos hosce discipulos operam apud se perdere nequaquam paterentur, et ad quam unumquenque artem idoneum iudicant, ad eam serio cohortarentur atque dimitterent. Sed valeant iam, valeant quotquot invita Minerva nati musas et Apollinem aversarunt. Eos enim compellat oratio mea adolescentes optimos, praestantiori indole ac felici ingenio ornatos, quos Isocrates Deorum immortalium filios appellare solebat, quippe qui intelligendi facilitate ac divino ingenio parentes Deos referre videantur. Eos, inquam, spectat quicquid de ingeniorum delectu insti-tuendo brevi hic dicam. Inter eos enim alios in mathematicis disciplinis, alios in physicis, alios in arte medica, alios in iure civili, partim in re poetica, partim in dicendi facultate praestantissimos fore non dubito; si unusquisque eorum in id studendo sedulo incumbat, ad quod natura duce propendet, et ad quod prope factus esse appareat. Quemadmodum enim, ut poeta inquit, non omnis fert omnia tellus; ita sane non omnes, qui nostra vel maiorum aetate clarerunt homines sapientissimi, omnem artem assequitos fuisse videmus, sed singulos in singulis praestitisse.

Atqui in re, primo nobis diligenter est attendenda mira illa ingeniorum varietas, qua homo alter alteri non minus est, quam vultu atque ore dissimilis. In aliis enim intelligendi acumen et sagacitatem incredibilem admiramus, qua facile omnium oculos ad se convertunt oratione venusta atque expedita, tum etiam salibus et iocis, quos semper in promptu habent, quibus ipsi saepe maiorem sibi opinionem, quam alii multo studio ac diligentia creant. In aliis vero tarditatem et quasi stuporem quandam mentis videmus: qui sermone parci sunt ac statari, ut proinde illis oratio non tam fluere, quam stillare videatur. Alii autem intelligendo minus acuti, nihilominus memoria pollut firma et praestantissima: alii contra ingeniosiores, sed omnium maxime obli-viosi; alii denique tum memoriae vi, tum intelligentiae acumine instructi, utraque facultate mirum in modum excellunt. Varias huiusmodi ingeniorum formas planum est e multiplici diversoque, quod uniuersique inest, temperamento proficisci: quum satis exploratum sit, non aequalem semper in nobis percipiendi facultatem, quae a sensibus ortum habet, vige; sed pro diversa corporis temperie illam modo acrem et robustam, modo fractam et imbecillam exsistere. Quum itaque tanta sit ingeniorum dissimilitudo, quanta vix corporum esse solet; quis non videt dissimilem inde singularum virtutem fore, nec eundem unquam ab universis progressum esse sperandum? Platonem legimus ingenia hominum cum metallis comparare fuisse solitum: quorum alia quidem aurea, alia ferrea, aut plumbea, partim stannea, partim argentea, partim denique e variis conflata metallis esse dicebat. Quod quidem in rem nostram quadrare satis apte videtur. Quandoquidem ad divinas et sublimiores disciplinas, quae aurea nimirum ingenia exigunt, is frustra incumbit, cui ferreum, vel plumbeum, ut Platonis more dicam, ingenium habere contigit. Frustra subtiliora geometriae problemata, frustra reconditos naturae aditus rimari tentant ii, quibus hebetior mens et tardi ad percipiendum motus. Reptare humi contenti sint, quibus natura volvare negavit ingenium, quo ad alta ferantur, ne Icari audaciam imitari velle videantur.

Quemadmodum autem non eadem est, ut paulo ante dixi, in omnibus intelligendi facultas, sed varia admodum et multiformis; ita quoque multiplex et diversa est natura disciplinarum, quae non omnes idem ingenii acu-

men, sed diversos intelligendi gradus virtutesque depositunt. Quaedam enim, ut algebra, ut metaphysica, ut theologia aliaeque plures ad contemplandum natae singularem percipiendi celeritatem et igneam vim mentis postulant. Quaedam vero tarditatem magis quandam amant cum ingenii maturitate coniunctam, ut medicina et iuris scientia. Aliae per amplum volunt, ubi spatiuntur memoriae campum, quemadmodum historia, geographia et omnia fere linguarum studia. Aliae denique cum tenaci memoria ingenium vividum et bene subactum; quales sunt dicendi facultas, ars critica, et quae de theologicis dogmatibus agit divina doctrina. Quocirca et si per se difficile est rem amplissimam definire et certam uniuersique disciplinae mensuram ingenii tribuere, hoc tamen ex eo difficilius esse video, quod praeoccupatam quisque habeat de ea, quam profitetur, doctrina opinionem; ad quam ingenium longe omnium optimum deposci omnino sibi persuadeat, et alter alteri concedere haud quaquam velit.

At vero negari non potest id, quod experientia fere quotidiana exploratum est atque perspectum, duos scilicet homines et ingenio et pari industria praestantes persaepe in una eademque facultate atque eodem magistro non aequaliter proficere: imo aliquando fieri, ut alter incredibilis in eo studii genere progressus faciat, in quo alter sic haeret atque impli-catur, ut ab eiusmodi vadis emergere nullo modo possit. Quid ita? Nonne quod alter quamquam intelligendi vi multa praestet; eo tamen ingenii temperamento caret, quod ad eius generis disciplinam est apprime necessarium? Usurpari enim solet communis sermone, et quasi proverbii locum obtinuit: poetas quidem nasci eosque non tam arte ac studio, quam natura et divino quodam instinctu valere. Homines enim quum viderent aliquos ad pangendum carmen mira ingenii facilitate duci, aliis vero per diuturnos labores ac vigilias id minus licere, poetas caelesti quadam vi ac divino spiritu afflari putarunt. Quocirca si quid fingere ac poetice ludere velint, non intercedo. Si vero quae causa sit serio requirant, hoc pro certo habeant, ad poeticam facultatem ebullientem ingenii fervorem et ingentem mentis impetum postulari, quo homines quodammodo furere et ostro quodam perciti esse videntur. Hoc autem qui carent, frustra musis et Apollini litare contendunt. Quamobrem ut Quintilianus animadvertisit, optimus quisque poeta is esse debet, qui sibi et res et actus simillimos veri scite ac venuste confingere valeat. Quod quidem de poetis argumentum nemo non videt in ceteras


quoque disciplinas satis commode cadere. Atque hinc M. Tullius ad informandum eum, quem ipse in libris *de Oratore* instituit, optimum dicendi magistrum, id maximae curae esse debere ac prae ceteris attendendum monet, ut primo ingeniorum delectus diligenter accurateque habeatur. « Præcipuum est, — inquit, — ut doctor animadvertis ingenium et naturam discipulorum ». Quintilianus autem, de quo paulo ante, aestimandorum et ipse ingeniorum peritissimus, examen huiusmodi tanti quidem fecit, ut illud iam inde a pueritia omnino fieri iubeat. « Tradito sibi puer, — ait, — docendi peritus ingenium eius in primis naturamque perspiciat ». Intelligebant quippe homines sapientissimi, naturae non debere vim fieri, sed ad quod unumquodque natum est, eo esse adhibendum. Siquis enim a teneris, ut Graeci dicunt, unguiculis pingendi artem non alio nisi natura dñe imitetur; non est, cur in consequendis latinae linguae elegantias, aut in dialecticorum subtilitatibus exsticandas aetatem atque operam frustra consumat. Ea ipse fervet phantasiae vi, ut quotquot sibi ob oculos rerum imagines veniunt, totidem adumbrare coloribus et non inscite exprimere valeat. Erit profecto, erit in pingendi facultate dux et imperator: at vero in humanioribus litteris, in philosophiae castris vix erit inter calones, aut gregarios milites recensendus.



Exploranda est itaque, et quidem sedulo, anquam disciplinis instituenda tradatur iuventus; ut in re tam ardua uniuscuiusque quid ferant humeri, ut aiunt, quid ferre recusent, probe internoscatur. Iure quidem merito permirum Diogeni videbatur, homines, qui neque ollam, neque operculum emerent, nisi primo idem pulsu et tinnitu satis exploratum habuisserent, at vero in homine emendo uno aspectu esse contentos. Quid vero de adolescente summae spei atque egregiae indolis, unde familliae splendor omnis ac dignitas, in una vel altera disciplina collocando? Nullumne fieri debet experimentum, nulla habenda naturae ratio, nulla de eins ingenio sollicitudo, perinde quasi mancipii alicuius emptio agatur? Quid ergo miramur, iuvenes navos et industrios in litterarum ludis tempus non minus quam aetatem terere; quum non sua, sed parentum voluntate iis studiis animum appulerint, a quibus maxime abhorrent? Istis nimirum culpa parentum eorundem accidit, quod de Periandro quodam medico Plutarchus memorat. Is enim quum medendi arte satis abunde praestaret, in eam dementiam venit, ut poeta fieri vehementer cuperet, et sese totum pangendis carminibus daret. Sed quum id musis adversis faceret, pro laude cachinnos et ludibria referebat. Quare Archidamus, eius necessarius, ad sunandum tam mali poetae furorem, eundem graviter obiurgans: Quid, — inquit, — tibi accidit, Periander, quod pro eleganti medico malus poeta vocari appetas? — Non dissimili plane ratione plerique homines, qui oratores, aut philosophi, aut geometrae praestantissimi evadent, quod ad eiusmodi disciplinas ingenium longe omnium aptissimum a natura acceperint; ab aliis, in quibus invita Minerva occu-

pantur studiis, summam referunt pro dignitate ac laude vituperationem. Hoc autem quanto non dicam professorum incommodo et optimorum artium damno fiat, sed familiarum iactura, ipsi cogitent atque caveant, qui ab adolescentium institutione non patriae modo, at sibi optima in posterum exspectant.

P. LUCENSIS.



DE RE LITTERARIA APUD SUBALPINOS⁽¹⁾

DE HISTORIA

Post Aloisium Cibrarium, primas tulit in historiis conscribendis, Iosephus Mannus, Algarae in Sardinia, nobili genere ortus. Si vero Aloisius Cibrarius, quod assiduo labore Taurinensis historiam illustraverit, iure Taurinensis est appellandus, Iosephum Mannum recte Sardum dixeris, quod omnibus doctrinae luminibus et studio et ingenio Sardiniam suam perpetuo decoravit.

In prima enim fronte operis inscribi voluit verba Aldigherii nostri clarissima:

*Poichè la carità del natio loco
mi strinse, rānai le fronde sparse!*

Hic a patre Calarim studiorum causa deductus, liberalibus disciplinis fuit institutus in nobili illius civitatis ephebo, tunc temporis religiosis viris demandato, quibus nomen est a Iesu.

Natura sollers, ingeniosus, naviter operam litteris dedit et vividam, ita celeriter varia doctrina excoluit, ut, factis rite periculis, etiam tunc puer ad Athenaeum magnum cunctis suffragiis promoveretur. Ibi in iurisprudentiae studium, qua nimirum homines ad honores potissimum niterentur, sub doctissimis magistris ita impiger incubuit, ut vix decem et octo annos natus iuris doctor renuntiaretur. Quo facto, tamquam ad grandia natus, multis variisque disciplinis imbutus, ad omnia, quibus humana cultura informari consuevit, altius animo intendebat. Ad haec, veluti cumulus accedebat peritia summa in re musica; ob quam, vix quatuordecim annos natus, adstante Carolo Felice, tunc Sardiniae procuratore, in publico certamine, omnibus acclamantibus, cum ipsis magistris pericitari ingenium haud dubitavit.

Sic parta sibi nominis celebritate, suas Caroli Felicis mox regis, se se ei comitem adiungens, cuique ob ingenium erat carus acceptusque, Augustam Taurinorum petiit, ut munera publica adeptus, viam sibi ad gloriam muniret.

Nec aetas, nec grave muneric officium a studio eum deterruit. Namque in ipso adolescentiae flore, ita litteris inclarescebat, ut iam de se non spem sed fiduciam daret, quum in vulgus edidit historiam cui est titulus: *Storia di Sardegna*. Quam omnes intelligentis iudicij viri summis laudibus exceperunt, et eius auctorem Sodales Taurinenses scientiae finibus proferendis honoris causa in suum coetum advarcarunt.

Quod quidem operis modo fuit initium. Namque in eo et illa fortuita inerant omnia, gratia vultus, vocis iucunditas, morum suavitas et me-

(1) Cfr. num. sup.

moria rerum et verborum plane singularis vividebantur.

Inter haec egregiam operam principi ita natus, ut rapide universo rerum publicarum curiculo emenso, praeses tandem Curiae Supremae Taurinensis renuntiaretur, adscitus insuper in consilium regno administrando.

Advenientibus autem novis reipublicae temporibus, in primis adlectus est inter senatores. Quamvis vero aliquantis rebus novis inserviret, nunquam tamen fluctibus civilibus totum abripi passus est. Namque semel atque iterum in maximo animorum certamine, ab illa lege adprobanda abstinuit, quae de matrimonio civili agebatur; et suo suffragio, ceteris frusta nitentibus, reprobatur.

Quo facto, quum ei plurima paterent munera, et recenseri inter equites Ordinis Supremi Virginis ab Angelo salutatae, qui maximus est omnium honor, iam non senatorum moderator fuit renuntiatus. Hoc enim munus ei ultra a quindecim et amplius annis adferebatur.

Nec munera, quibus e more operam naviter dabat, prohibuerunt quominus identidem ad intermissum litterarum studium, quod preecepteris in pectore gerebat, alacriter rediret.

Ad Horatium potissimum oculis animoque respiciebat, ex quo in rem suam derivasse videtur aulicum illud atque urbanum scribendi genus, quod maxime referunt satyrae horatianae.

Complura scripsit, et eius dictio pura semper et casta fuit, atque ita ingenium suum effinxit ut hominum errores et vitia non acerrime insectaretur, sed ridentis vultu et socratica quadam ironia vellicaret.

Haec mea verba potissimum spectant ad illa opera quae post *Historiam Sardiniae* animi causa scriptitasse videtur. Huiusc generis est opella: *Dei vizi de' litterati, libri due*; *Della fortuna delle parole, libri due*; *Il giornale di un collegiale*; *Della fortuna delle frasi, libri tre*.

Si libros, qui ad liberaliores litteras spectant, eleganti forma exaravit atque iucundo sententiarum candore et inaffectionata stili simplicitate, in iis, qui de historia pertractant, novum dicendi genus usurpavit, elegans, pressum ac roboris plenum, quod historicum maxime decet. Ei procul dubio optime aptatur quod in fronte alicuius voluminis inserbitur: *Meum officium facio, quod peccatum a nobis ortum est, corrigo*.

Data et minime impetrata munerum vacatio, ingravescente aetate, filiis ingemiscentibus, quos ad patriam excoluit atque ad religionem, ad sedes caelestium placido exitu emigravit anno M DCCC LXVIII.

(Ad proximum numerum).

SUBALPINUS.

DE ANIMANTII MIGRATIONIBUS

A NIMANTIUM inter consuetudines, quibus maxime obstupescimus, illud ferme est mirandum, quod multi usi habent, qui certis anni temporibus et stata fere die ex uno in alterum locum alas vertunt aut pedes. Quae plane res eo gravius percussit animos, quo eius causae multiplices sunt magis et ignotae, atque eae sane, quas enodare adamussim nemini adhuc

lieuit. Hand enim facile semper reperias avium aut piscium certas perquirere rationes; interdum enim mitioris aëris quaerendi causa proficisciuntur, interdum novi cibi inveniendi, alias vero ponendi nidos, etc.

Profecto doctorum novissimae investigationes plurimam in rem lueem contulere; at gravia adhuc perficienda in re manent ac multa, antequam quaestio enodetur, quae non naturalis disciplinae tantum interest, verum etiam oeconomicam rem plurimarum attinet gentium, quae e migrantibus piscium vel avium agminibus fere omnes aluntur. Quamobrem iure commoti vehementerque anxiati animi sunt nonnullorum populorum, quum alio conversas migrationes avium viderunt, quam ab antiquissima aetate contigisset.

Sed de rei causa praecipua multa adhuc dubia in re ipsa agitantur; de ratione scilicet prima, qua pisces avesque aut etiam mures ad migrandum ab uno ad alium locum impellantur. Non semel enim incredibile aliquid apparuit, agmina migrantium quotannis certis diebus certam per viam ea loca petere, in quibus quotannis eodem fato milliatim sive aëris torrido calore, sive improvisa tempestate, sive ventis, aut fame, aut aquis interfecti sunt.

Neque rem neglexit Darwinius eo in libro, quem de animantium origine inscripsit, qui primum animadvertisit migrantia animantia quae quotannis certo tempore atque eadem semper via et in unam semper regionem iter faciunt, longe alias sese habere corpore et habitu quam quae ab una ad alteram diu dissitam regionem proficisciuntur.

Quinimo non eamdem semper hanc migrandi necessitatem apparere auctor adnotavit, siquidem una eademque animantium species saepe conspicitur hinc nunquam discedere, aliunde vero quotannis proficisci: quae immo disparitas inter multa eiusdem generis animantia interdum innotescit, quae uno licet eodemque in loco vitam ducunt. Ita coturnices, quae meridionali ex Africa migrant, Robinia ex insula minime discedunt, quum hand longius quam duobus milibus passuum ex afriano litore insula illa distet. Nec species avium desunt, qui hunc instinctum paullatim amittant, ut Canariis in insulis hirundines, quae nunquam regionem illam relinquent.

Docet immo Darwinius aliam esse naturae vim quae animantia ad proficiscendum certam in viam compellit, aliam quae in itinere ea certissime dicit, ut nunquam a recto tramite deflectant, aliam quae certis temporibus impellit ut alio vertant cursum. Insuetas itaque vires videmus ac plane singulares, quarum natura nemini hactenus doctorum virorum innotuit. Putat quidem Darwinius aut frigore nimio aut nimio calore impellente quaedam primum animantia certam iniisse viam, quem deinde morem iteratis actibus adeo convaluisse, ut filii eamdem certo tempore necessitatem persenserint eamdemque viam ipsi vicissim suscepint. Quodsi saeculorum decursu certas forte terrae regiones oceanum demersit, planum est tamen aves easdem, eodem semper instinctu motas, eas regiones volando iam transgredi aquis obrutas, quas per siculum forte multis ante saeculis patres essent transgressi.

Neque multum absimilis Wallace doctoris sententia fuit, quamquam nonnullas animadversiones gravis satis ponderis addebat de regionibus variis, quae vario modo sive multiplicandis animantibus sive enutriendis aptae noscuntur. Si enim migrans avis certa in regione sibi natusque enutriendis cibos, aquas, aërem invenerit, certum est iuxta varias anni tempestates varia loca fore ut avis incolat: secus enim si in una semper eademque regione maneret, aëris inclemens brevi illam natosque interficiet. Quodsi dissitae regiones illae proximae primum et coniunctae fuerint, at deinde terrae vel maris motu alia ab alia divulsae, planum est instinctum illum certo tempore magni haereditate acceptum a natis et in universam speciem diffusum, aves modo ducere oportere super maria et glacies ad loca ubi maiores olim hibernabant.

Quod vero quotannis certo tempore iisdemque diebus aves exsulcent, id ferme decidentes foliae eas docent, aut squalentia arva, aut procellarum vis, pluviarumque et ventorum certa vicissitudo, qua monentur propitiam desiisse eorum vitae ducendae tempestatem, atque ingratum omnino tempus appropinquare. Quae plane rei causae ab ipso Darwinio, rei huius acerrimo investigatore, hand secus propounderuntur.

Manet autem atque manebit ignota diu vis intima et prima qua mirabilis hic instinctus efformetur, quo non tantum belluae ratione carentes, sed etiam nos ingenio praeclaro et anima divites uno semper eoque certo atque eodem modo in mortali vita movemur ad praestitum finem, qui nemini ferme nisi Deo auctori naturae summo innotuit.

HORAE SUBSECIVAE

I.

Pyxis inaurata

*Vetus, Gothorum litteris,
membrana factum nobile
describit, Eucharistiae
quo mira virtus proditur.*

*Ardebat Albigensium
furor, sacrasque Galliae
vastabat aedes, qua plagas
Garumna laetas alluit.*

*Templum per agros rusticum
surgebat: illud impia
parat cohors, bitumine
onusta, flammis tradere.*

*Puella sed praecurrerat
devota Christo, caelitum
quae Panem rapto, divite
domum redit cum sarcina.*

*Illuc reversa, cogitat:
“Eheu! quid egi? iuncea
quae tecta non expaverim
offerre Regi siderum!*

*At ille, nascens, aspera
quievit inter stramina;
clausisque diversoriis,
bubile non exhorruit..*

*Erat supellex virginis
egena; nil decentius
scypho nitebat vitreo:
scyphus proinde promitur.*

*Hunc, solis ictum spiculis
tersumque lino candido,
cubile Christo destinat,
procella donec fugerit.*

*Rudi sub arca vasculum
recondit, et campestribus,
quos haud morata colligit,
adornat arcum floribus.*

*Ut sole tandem tertio
hostis recessit, vitreum
festinat e domuncula
scyphum sacerdos tollere.*

*Res mira! divum candicat,
ut ante suevit, Ferculum;
sed aureo crystallinum
fulgore vas obducitur.*

*Quod nempe Christus attigit,
ultra fit aurum; cordibus
illapsus, haec e terreis
convertit in caelestia.*

II.

Ciborium cereum

*Codex vetustus, vitreae
qui fata narrat Pyxidis,
miram refert et cerei
originem Ciborii.*

*Latro, profanis furibus
scelestior, perfregerat,
quam densa nox nigresceret,
sacra templi limina.*

*Votiva dona diripit,
visus nec ipsi parcere
Cellae verendae, regius
quam Christus hospes occupat.*


*Argenteum Ciborium
praedatus, inclusam Dapem,
quam vile ducit pabulum,
in alveare proicit.*

*Audite nunc, quot illico
eruperint miracula!
Ut sol obortus est, herus
apes revisit impigras.*

*At mox: “Quid — inquit — accidit?
Apum nec unam conspicor,
quae mella curet roscidis
de flosculis exsugere.*

*Domi quid haerent? Acri ter
examen intus bombitat:
laborat ergo; ceterum
quid elaboref, nescio.*


*Num fallor? Aurem verberat,
 non murmur alis editum,
 sed hymnus ille sanctior
 quo templa Christi personant.*
*En sensuum defectui
 audita vox; en additur
 cum laude iubatio,*
Amenque finis nescium „.
*Ad haec, labris hiantibus,
 herum stupere cerneres,
 stupere quotquot undique
 festes colonus advocat.*
*Accitus ipse constupet
 loci sacerdos, scirpeum
 quo tum iubente operculum
 ab alveari tollitur.*
*Miranda res! lux emicat
 ex alveari fulgurans,
 et Pyxis inde promittit
 (opus superbum) cerea.*
*Fit pompa sacra: pristinis
 caelestis Esca sedibus
 infertur; aer interim
 festis resultat canticos.*
*Pompam sequuntur agmina
 alata, melle turgida;
 suae tamen, praे gaudio,
 oblita saevae cupidis.*
*Neque hic steterunt edita
 portenta: mutus eloqui,
 caecus videre, currere
 claudus repente cernitur.*
*O Christe, manna mentium,
 favoque mellis dulcior!
 Da corda nobis cerea,
 tuoque plena numine.*
 Franc. X. Reuss.



IACOBUS BAROZZI cognomine *Il Vignola*

IACOBUS Barozzi, recentioris architecturae magister apud omnes facile princeps, in oppido illo Aemiliae flore Mutinensis provinciae, unde cognomen notissimum *il Vignola* accepit, mense Octobri M^{DC}VII honesto loco natus est. Adolescentulus ad pingendi artem se contulit, quam tamen ex improviso reliquit, quum Romam migravit, nostrorumque monumentorum visus eius in animo admirationem, in mente novas species et formas excitatit. Is enim linearum quasi dicam fascinationem sentiebat, et architecturae numerosam quamdam comprehensionem; itaque ex notationibus suis principia et regulas deduxit, in libro celeberrimo « Rationes quinque architecturæ ordinum » expressa atque vulgata; quod opus in sermonem omnium exultarum gentium brevi conversum, ipsius artis architectonicæ formula vulgaris communisque factum est et manet.

Nil igitur mirum quod Barotii fama longe lateque manaverit atque artifici summo pala-



Iacobus Barozzi cognomine "Il Vignola"
(Ex antiqua tabula aere eusa).



Farnesiani Caprarolensis palatii prospectus exterior.

denique fabricanda aedificia ab ipso cogitata susciperet.

Ex Gallia rediens, Bononiae frontem maximi templi illius civitatis, S. Petronio dicati, descripsit, itemque aedes Isolani comitis, permutationem - prout vulgo nuncupant - porticum, et navigii canalem; Parmae ducalis aulae formam perfecit; Assisii templa construxit Massani, S. Orestis et S. Mariae Angelorum; Perusiae sacellum S. Francisci.

Romam quum iterum petiisset, a Georgio Vasario coram Iulio III Pontifice productus est, qui ei, suo ipsius architecto creato, structuram coneredidit suburbani ruris in via Flaminia, adhuc, licet satis diruti, Iulii papae nomine distincti; quod ille optime exequutus est, dum simul aliis operibus intendit, et S. Andreæ aediculae ad pontem Milvium, vere artis deliciis, et Florentinae gentis palatio in campo

Martio, et stratorum ecclesiae S. Annae in Vaticano, et cardinalis Ranuccii Farnesi sepulero ad S. Ioannis in Laterano. Quin imo, quum Philippi II invitationem recusasset, qui apud se in Hispanorum regiam appellaverat, *Escuriale* tamen, celebris illius aedificij, formam ipsius regis inssu descripsit, quae iure, praeter ceteras ab omnibus sui temporis celebratissimis architectis exhibitas, anteposita est.

Omnibus vero Barotianis operibus palatum illud supereminet, quod Caprarola in oppido, ad millia passuum ab Urbe quadraginta, Alexandri Farnesii mandato Iacobus extruxit. In summo colle positum, ad pentagoni formam productum, totidem cinctum propugnaculis, civilis et militaris architecturae splendida admixtio, magnitudinis atque vis singulares notas praebet; quae tamen tanta pulchritudine et varietate, in minimis etiam, inter se concilie convenient, ut rei miraculum apprime dixeris.

Murus crepidine erectus quasi vadum offert aedificii stylobatae, divisionibus atque lumini bus ornato; aedes duobus ordinibus constant, quorum interior, ad Ionicorum stylum, porticus exhibit antis corinthiis duplice fenestrarum serie distinctos. Tabulata duo ex area circulare cavaedio imminent; superius solario redimitur. Horti denique, quos et umbrifera xysta, et nymphæ, et aquarum lapsus mira arte effectus et statuae plurimae laetissimos faciunt, aedes circumstant.

Ioannes Barozzi, eius ortus quarta centenaria sollemnia his diebus commemorantur, honoribus cumulatus Romæ obiit die VII mens. Iulii M^{DC}LXXXII, eiusque exuviae in Pantheon illo, quondam omnibus Romanorum numinibus sacro, non immerito reconditae sunt.

PHILANDRI BAVARI

DE AQUA DISPUTATIO (1)

Ergo secuti sumus aquae ascensum, nunc quomodo decidat, postremo quomodo per terram defluat, videamus.

Sed ante tradenda quaedam nubium nomina. « Cirrum » dicunt meteorologi eum, qui ex subtilibus constat fibris et albis; « cumulum », qui quasi globis nebulosis est conflatus et aestate potissimum magnifico luceat candore. « Stratus » ille est, qui totum obtagit caelum atque continuum; « nimbus », qui iam pluviam demittit. Ita quidem ipsa nubium nomina nos ad aquam pluviam deduxerunt. Si enim guttae, quas esse nebulam dixi, vel nubes adeo sese consociant, ut crassitudine et gravitate in vaporem iam non resolvantur, nec vento auferantur, in terram decidunt. Tum nos dicimus: pluit. Sed si tanta est acerbitas frigoris, ut sit thermometri zero inferius, aqua in glaciem mutatur, quae quum cedit, ningit. Scitis vero quantas delicias cepimus olim ex nivibus, praesertim ex primis. Licebat enim pueris a curis vacuis integros dies esse sub

(1) Cfr. num. sup.

divo. Dici autem non potest, quanta sit alborum floccorum pulchritudo. Stellarum forma decidunt tanta arte distincti, tam mirifice constructi, ut vel pictores non mediocres artem suam componant. At hoc plerumque est in rerum natura, ut suarum formarum copia et specie artifices longe superet. Nonne enim in artificium numero is putatur excellens, qui hanc sua tabula imitatus sit?

Cui sententiae quum illi essent vehementer assensi: — Sed curate, — inquam, — hyeme proxima, ut formam floccorum diligentius videatis. Cavete autem, ne, dum spiritum affletis, calore solvatis, ut nil, nisi aquae gutta relinquitur. In vestimento saepe subsidunt. Multis ergo floccorum millibus quasi tegmine omnia

ribus iacturam. De grandine illud unum est dicendum, esse nives conglobatas electrica, ut physici opinantur, vi: nequedum quidquam certi statui potuit.


Sed nunc sol iam valde declivis est. Surgite, Stephane et Laurenti mei, ne sero domum redeamus; nunquam enim consuevimus antehac tam diu ad hunc fontem sedere.

Tum surgentes ultimum locum circumspicimus coepimusque proficisci.


Hie Stephanus: — Valde — inquit — gaudeo, Laurenti, quod Andream hodie in istam disputationem adduxerimus; physicorum mibi rationes iam nunc admodum placeant.

— Quid? — inquam, — quanta tu voluptate replebere postea, quum ipsa in schola audies, si

ducit, cui relinquunt sordes in itinere collectas, aptisque locis emanat, ut ex isto fonte, a quo modo discessimus. De puteis autem arteriis, e quibus aqua non effluit, sed exsilit, de puteis temporariis, de maritum ne verbum quidem dicam, quamquam cognitione dignissima est explicatio. Plurimi fontes in vallis sunt et in montium declivitate. In Brocio, monte quodam Germanico, effluit aqua quinque a summo fastigio metra; sed quod lata est superior planities, colligi eo aqua potest. Haec autem fontium aqua nunquam est pura, nunquam bibimus eam, quae sit ex solis hydrogenio et oxygenio, quae esset omnino insipida, nisi acidum carbonicum adderetur. Quod, si vultis gustare, pluviam excipite, quae est inter natu-



Farnesiani Caprarolensis palatii prospectus interior.



Farnesiani Caprarolensis palatii hortus.

hieme consternuntur. Hoc autem valde gratum est agricolis; retinet enim nivea ista stratura humo calorem, nec quidquam laeditur seminum ad crescendum vis, quae, si nudus esset ager, gelu atque ventis deleretur. Post multas autem nives haec est rusticis spes uberrimam fore fructuum messem.

Dicam nunc, oportet, quid sit ros, quid pruina, quid grando; pertinet enim hic. Ros oritur nocturno frigore, et quidem aestate, si caelum purum est. Tum terra velocius calorem interdiu collectum in aera proximum exhalat. Corpora enim omnia eiusdem caloris gradum ultro semper appetunt; qua de re calidiora transmittunt frigidioribus. Iam vero frigidior aer, ut paulo ante vobis dixi, non tantum vaporis potest recipere quam caldior, unde ponit aquae guttas in rebus humilibus, in herbis praesertim. Hoc aestate summae est agrorum culturae utilitati. Diu enim solet illo tempore pluvia retineri, ut sementa aestu diurno exusta nocturno rore solo recreentur, ne omnino flaccescant. Tum vehementer oblectat matutinos viatores, quum prima luce ex singulis, quae haerent in gramine guttis, solis orientis radii, quasi ex purissimis margaritis, versicolores referuntur. Sed si soli frigora sunt vehementiora, quod extremo autumno non ita raro fieri novimus, ros nivium formam assumit, quae pruina nominatur, quae, ut ros incunda atque exspectata, ita iniucunda atque invisa est agricolis, quod nascentibus herbis saepe mortem inferat magnamque arbo-

haec, quae sunt a me scientiae quasi quaedam reliquia projecta, te adeo delectant? Multa ego ne tetigi quidem. Nunc vero satis, opinor, audiatis; liberate voces vestras, silentium solvite.

Dixit Stephanus: — At, nos quidem silebimus, dum a te audierimus illam, quam ante in geologia positam esse faciebas partem.

Et Laurentius: — Numquid, Andrea, tu vis nos adducere ut credamus consistere perpetuo decurrentem aquam eo loco, quo e caelo delapsa est? Ipse defluere dixisti. Quo, quae, et quomodo?

— Nihil est, inquam — reliqui, nisi ut, quae de aqua dicunt geologi, breviter doceam. Itaque quid est geologia? Geographia vobis nota est. Haec est enim regionum descriptio, urbium, montium, fluminum enumeratio. Illa autem est terrenae crustae totius scientia; nam qui hanc profitentur expertum habent, interiorem orbem quem incolimus ignitum esse. Terram ergo esse quasi involuerum concretum ardantis intus materiae quod, quomodo se habeat, alias, si placuerit, videbimus. Istius quasi involueri geologi investigant naturam, exstinctionem, compositionem. Nos vero ad aquam venimus, quae ubique fere sub solo invenitur, quae ex caelo demissa partim a terra imbibitur, partim in flumina decurrit, partim vaporet. Illa pars, quam sibi terra abripuit, lentissimo rapit itinere, dum limi straturam reperit. Limus enim tam est solidus, ut aqua percolari amplius nequeat. Itaque sequitur, quo argilla

rales aquas purissima. In suo autem itinere occulto sibi comparat acidum istud, cuius satis magna adest in terra copia; postea facile etiam alia corpora dissolvit et secum portat; minus quidem metalla, plus reliqua; quorum si permulta in aqua sunt mineralis nominatur ab eis, quorum est novare rebus inventis vocabula. Plerumque autem fit, ut aquae minerales, quod ex altioribus terrae partibus erumpunt, calidores sint, quam fontana solet esse aqua. Tum thermarum habent nomen. Ex illo autem calore concludimus ignem esse in ima terra, quod ego supra iam dixi. Ad thermas multi homines divites conveniunt ad labefactatas vires recuperandas, sed meus quondam magister, a qua haec, quae vobis trado, accepi illustris sane vir, putabat sanitatem hominibus pecuniosis securitatem potius vitae elaborare, quam aquarum salubritatem. Mitto urbes thermis celebres, geographis remitto.

(Ad proximum numerum).

ACTA PONTIFICIA

SS. D. N. Pii PP. X litterae encycliche de Modernistarum doctrinis.

Die VIII mens. Septembbris MDCCCVII Pontificiae encycliche litterae datae sunt « de Modernistarum doctrinis », quas, maximi licet momenti, integras tamen edere nequimus, quum

longiores quidem eae sint, quam ut commentarii nostri paginae patientur. Itaque ad proximos numeros differentes, eas, summatim saltem, vulgare, constituta inde a SSmo hodie ad amussum reportamus, quae sunt prouti sequitur:

« I. Primo igitur ad studia quod attinet, volumus probeque mandamus ut philosophia scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur. — Utique, si quid a doctoribus scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum; si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens vel denique quoquo modo non probabile; id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum propone (1). Quod rei caput est, philosophiam scholasticam quum sequendam praescribimus, eam praecepue intelligimus, quae a sancto Thoma Aquinate est tradita; de qua quidquid a Decessore Nostro sancitum est, id omne vigere volumus, et qua sit opus instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus. Episcoporum erit, sicubi in Seminariis neglecta haec fuerint, ea ut in posterum custodiantur urgere atque exigere. Eadem religiosorum Ordinum moderatoribus praecipimus. Magistros autem monemus ut rite hoc teneant, Aquinatem deserere, praesertim in re metaphysica, non sine magno detimento esse.

» Hoc ita posito philosophiae fundamentum, theologicum aedificium exstruktur diligentissime. — Theologiae studium, Venerabiles Fratres, quanta potestis ope provehite, ut clerici e seminariis egredientes praecolla illius existimatione magnoque amore imbuantur, illudque semper pro deliciis habeant. Nam in magna et multiplice disciplinarum copia, quae menti veritatis cupidac obicitur, neminem latet sacram Theologiam ita principem sibi locum vindicare, ut vetus sapientium effatum sit, ceteris scientiis et artibus officium incumbere, ut ei inserviant ac velut ancillarum more famulentur (2). Addimus heic, eos etiam Nobis laude dignos videri, qui, incolumi reverentia erga Traditionem et Patres et ecclesiasticum magisterium, sapienti iudicio catholicisque usi normis (quod non aequae omnibus accidit) theologiam positivam, mutuato a veri nominis historia lumine, collustrare studeant. Maior profecto quam antheac positivae theologiae ratio est habenda; id tamen sic fiat, ut nihil scholastica detrimenti capiat, iisque reprehendantur, utpote qui modernistarum rem gerunt, quicumque positivam sic extollunt ut scholasticam theologiam despiciere videantur.

» De profanis vero disciplinis satis sit revocare quae Decessor Noster sapientissime dixit (3): *In rerum naturalium consideratione strenue adlaboratis: quo in genere nostrorum temporum ingeniosa inventa et utiliter ausa, sicut iure admirantur aequales, sic posteri perpetua commendatione et laude celebrabunt. Id tamen nullo sacrorum studiorum damno; quod idem Decessor Noster gravissimis hisce verbis prosequutus monuit (4): Quorum causam errorum, si quis diligenter investigaverit, in eo potissimum sitam esse intellegit, quod nostris hisce temporibus, quanto rerum naturalium studia vehementius fervent, tanto magis severiores altioresque disciplinae defloruerint: quaedam enim fere in oblivione hominum conticescunt; quaedam remisse leviterque tractantur, et quod indignum est, splendore pristinae dignitatis deleto, pravitate sentiarum et immanibus opinionum portentis inficiuntur. Ad hanc igitur legem naturalium disciplinarum studia in sacris seminariis temperari praecipimus.*

» II. His omnibus praeceptionibus tum Nostris tum Decessoris Nostri oculos adiici oportet, quum de Se-

minariorum vel Universitatum catholicarum moderatoribus et magistris eligendis agendum erit. — Qui cumque modo quopiam modernismo imbuti fuerint, ii, nullo habito rei cuiusvis respectu, tum a regundum a docendi munere arceantur; eo si iam funguntur, removeantur: item qui modernismo clam aperteve favent, aut modernistas laudando eorumque culpam excusando, aut Scholasticam et Patres et Magisterium ecclesiasticum carpendo, aut ecclesiasticae potestati, in quocumque ea demum sit, obedientiam detrectando: item qui in historica re, vel archeologica, vel biblica nova student: item qui sacras negligunt disciplinas, aut profanas anteponere videntur. — Hoc in negotio, Venerabiles Fratres, praesertim in magistrorum delectu, nimia nunquam erit animadversio et constantia; ad doctorum enim exemplum plerumque componuntur discipuli. Quare, officii conscientia freti, prudenter hac in re at fortiter agitote.

» Pari vigilantia et severitate ii sunt cognoscendi ac diligendi, qui sacris initiari postulent. Procul, procul esto a sacro ordine novitatum amor: superbos et contumaces animos odit Deus! — Theologiae ac Iuris canonici laurea nullus in posterum donetur, qui statum curriculum in scholastica philosophia antea non elaboraverit. Quod si donetur, inaniter donatus esto. — Quae de celebrandis Universitatibus Sacrum Consilium Episcoporum et Religiosorum negotiis praepositum clericis Italiae tum saecularibus tum regularibus praecepit anno M DCCCXC VI; ea ad nationes omnes posthac pertinere decernimus. — Clerici et sacerdotes qui catholicae cuipiam Universitati vel Instituto item catholico nomen dederint, disciplinas, de quibus magisteria in his fuerit, in civili Universitate ne ediscant. Sicubi id permissum, in posterum ut ne fiat edicimus. — Episcopi, qui huiusmodi Universitatibus vel Institutis moderandis praesunt, current diligentissime ut quae hactenus imperavimus, ea constanter serventur.

» III. Episcoporum pariter officium est modernistarum scripta quaeve modernismum olent provehuntes, si in lucem edita ne legantur cavere, si nondum edita prohibere ne edantur. — Item libri omnes, ephemerides, commentaria quaevis huius generis neve adolescentibus in Seminariis neve auditoribus in Universitatibus permittantur: non enim minus haec nocitura, quam quae contra mores conscripta; immo etiam magis, quod christiana vitae initia vitiant. — Nec secus iudicandum de quorundam catholicorum scriptioribus, hominum ceteroqui non malae mentis, sed qui theologiae disciplinae expertes ac recentiori philosophia imbuti, hanc cum fide componere nituntur et ad fidei, ut inquit, utilitates transferre. Hae, quia nullo metu versantur ob auctorum nomen bonaque existimationem, plus periculi afferunt ut sensim ad modernismum quis vergat.

» Generatim vero, Venerabiles Fratres, ut in retam gravi praecipiamus, quicumque in vestra uniuscuiusque dioecesi prostant libri ad legendum perniciosi, ii ut exulent, fortiter contendite, solemnii etiam interdictione usi. Etsi enim Apostolica Sedes ad huiusmodi scripta e medio tollenda omnem operam impedit; adeo tamen iam numero crevere, ut vix notandis omnibus pares sint vires. Ex quo fit, ut senior quandoque paretur medicina, quum per longiores moras malum invaluit. Volumus igitur ut sacrorum Antistites, omni metu abiecto, prudentia carnis deposita, malorum clamoribus posthabitatis, suaviter quidem sed constanter suas quisque partes suscipiant; memores quae Leo XIII in Constitutione apostolica *Officiorum* praescribebat: *Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae, libros aliaque scripta noxia in sua dioecesi edita vel diffusa proscribere et e manibus fidelium auferre studeant. Ius quidem his verbis tribuitur sed etiam officium mandatur. Neo*

qnispam hoc munus officii implevisse autem, si unum alterumve librum ad Nos detulerit, dum alii bene multi dividii passim ac per vulgari sinuntur. — Nihil autem vos teneat, Venerabiles Fratres, quod forte libri alieuius auctor ea sit alibi facultate donatus, quam vulgo *Imprimatur* appellant: tum quia simulata esse possit, tum quia vel negligenter data vel benignitate nimia nimiae fiducia de auctore concepta, quod postrem in Religiosorum forte ordinibus aliquando evenit. Accedit quod, sicut non idem omnibus convenit cibus, ita libri qui altero in loco sint adiaphori, nocentes in altero ob rerum complexus esse queunt. Si igitur Episcopus, audita prudentum sententia, horum etiam librorum aliquem in sua dioecesi notandum censuerit, potestatem ultro facimus immo et officium mandamus. Res utique decenter fiat, prohibitionem, si sufficiat, ad clerum unum coercendo: integro tamen bibliopolarum catholicorum officio libros ab Episcopo notatos minime venales habendi. — Et quoniam de his sermo incidit, vigilant Episcopi ne, lucri cupiditate, malam librarii mercem: certe in aliquorum indicibus modernistarum libri abunde nec parva cum laude proponuntur. Hos, si obedientiam detrectent, Episcopi, monitione praemissa, bibliopolarum catholicorum titulo privare ne dubitent; item potioreque iure si episcopales audiant: qui vero pontificio titulo ornantur, eos ad Sedem Apostolicam deferant. — Universis demum in memoriam revocamus, quae memoria apostolica Constitutio *Officiorum* habet, articulo XXVI: *Omnes, qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico induito expressa facta fuerit potestas legendi ac retinendi libros a quibuscumque damnatos.*

» IV. Nec tamen pravorum librorum satis est lectionem impedire ac venditionem; editionem etiam prohiberi oportet. Ideo edendi facultatem Episcopi severitate summa impellant. — Quoniam vero magno numero ea sunt ex Constitutione *Officiorum*, quae Ordinarii permissionem ut edantur postulent, nec ipse per se Episcopus praecognoscere universa potest; in quibusdam dioecesis ad cognitionem faciendam censores ex officio sufficienti numero destinantur. Huiusmodi censorum institutum laudamus quam maxime: illudque ut ad omnes dioeceses propagetur non hortam modo sed omnino praescribimus. In universis igitur curiis episcopalibus censores ex officio adsint, qui edenda cognoscant: hi autem e gemino clero eligantur, aetate, eruditione, prudentia commendati, quique in doctrinis probandis improbandisque meditatoque itinere eant. Ad illos scriptorum cognitione deferatur, quae ex articulis XLI et XLII memoratae Constitutionis venia ut edantur indigent. Censor sententiam scripto dabit. Ea si favorit, Episcopus potestatem edendi faciet per verbum *Imprimatur*, cui tamen proponetur formula *Nihil obstat*, adscripto censoris nomine. — In curia romana, non secus ac in ceteris omnibus, censores ex officio instituantur. Eos, auditio prius Cardinali in Urbe Pontificis Maximo, Magister sacri Palatii apostolici designabit. Huius erit ad scripta singula cognoscenda censorem destinare. Editionis facultas ab eodem Magistro dabitur nec non a Cardinali Vicario Pontificis vel Antistite eius vices gerente, praemissa a censure, prout supra diximus, approbationis formula, adiectoque ipsius censoris nomine. — Extraordinariis tantum in adiunctis ac perquam raro, prudenti Episcopi arbitrio, censoris mentio intermitte poterit. — Auctoribus censoris nomen patebit nunquam, ante quam hic faveat sententiam ediderit; ne quid molestiae censori exhibeat vel dum scripta cognoscit, vel si editionem non probarit. — Censores e religiosorum familiis nunquam elegantur, nisi prius moderatoris pro-

(1) LEO XIII, Enc. *Aeterni Patris*.

(2) LEO XIII, Litt. ap. *In magna*, 10 Dec. 1889.

(3) Alloc. 7 Martii 1880.

(4) Loc. cit.

vinciae vel, si de Urbe agatur, moderatoris generalis secreto sententia audiatur: is autem de eligendi moribus, scientia, de doctrinae integritate pro officii conscientia testabitur. — Religiosorum moderatores de gravissimo officio monemus nunquam sinendi aliquid a suis subditis typis edi, nisi prius ipsorum et Ordinarii facultas intercesserit. — Postremum edicimus et declaramus, censoris titulum, quo quis ornatur, nihil valere prorsus nec unquam posse afferri ad privatas eiusdem opiniones firmandas.

» His universe dictis, nominatum servari diligentius praecipimus, quae articulo XLII Constitutionis *Officiorum* in haec verba edicuntur: *Viri e clero seculari prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suspiciant.* Qua si qui venia perniciose utantur, ea, moniti primum, priventur. — Ad sacerdotes quod attinet, qui *correspondentium vel collaboratorum nomine vulgo veniunt, quoniam frequentius evenit eos in ephemericibus vel commentariis scripta edere modernismi labe infecta, videant Episcopi ne quid hi peccent; si peccarint moneant atque a scribendo prohibeant.* Id ipsum religiosorum moderatores ut praestent gravissime admonemus: qui si negligentius agant, Ordinarii auctoritate Pontificis Maximi provideant. — Ephemerides et commentaria, quae a catholicis scribuntur, quoad fieri possit, censorem designatum habeant. Huius officium erit folia singula vel libellos, postquam sint edita, opportune perlegere: si quid dictum periculose fuerit, id quamprimum corrigendum iniungat. Eadem porro Episcopis facultas esto, etsi censor forte faverit.

» V. Congressus publicosque coetus iam supra memoravimus, utpote in quibus suas modernistae opiniones tueri palam ac propagare student. — Sacerdotum conventus Episcopi in posterum haberi ne siverint, nisi rarissime. Quod si siverint, ea tantum lege sinent, ut nulla fiat rerum tractatio, quae ad Episcopos Sedemve Apostolicam pertinent; ut nihil proponatur vel postuletur, quod sacrae potestatis occupationem inferat; ut quidquid modernismum sapit, quidquid presbyterianum vel laicismum, de eo penitus sermo conticescat. — Coetibus eiusmodi, quos singulatim, scripto, aptaque tempestate permitti oportet, nullus ex alia dioecesi sacerdos intersit, nisi litteris sui Episcopi commendatus. — Omnibus autem sacerdotibus animo ne excedant, quae Leo XIII gravissime commendavit (1): *Sancta sit apud sacerdotes Antistitum suorum auctoritas: pro certo habeant sacerdotale munus, nisi sub magisterio Episcoporum exercetur, neque sanctum, nec satis utile, neque onustum futurum.*

» VI. Sed enim, Venerabiles Fratres, quid invenit iussa a Nobis praceptionesque dari, si non haec rite firmiterque serventur? Id ut feliciter pro votis cedat, visum est ad universas dioeceses proferre, quod Umbrorum Episcopi (2), ante annos plures, pro suis prudentissime decreverunt. *Ad errores, sic illi, iam diffusos expellendos atque ad impediendum quominus ulterius divulgantur, aut adhuc existent impie-tatis magistri per quos perniciosi perpetuentur effectus, qui ex illa divulgatione manarunt, sacer Conventus, sancti Caroli Borromaei vestigis inhaerens, institui in unaquaque dioecesi decernit probatorum utriusque cleri consilium, cuius sit pervigilare an et quibus artibus novi errores serpent aut disseminentur atque Episcopum de hisce docere, ut collatis consiliis remedia capiat, quibus id mali ipso suo initio extingui possit, ne ad animarum perniciem magis magisque diffundatur, vel quod peius est in dies confirmetur et crescat.* — Tale igitur Consilium, quod a *vigilantia* dici placet, in singulis dioecesis institui quamprimum decernimus. Viri, qui in illud adsciscantur, eo fere

(1) Litt. Enc. *Nobilissima Gallorum*, 10 Febr. 1884.

(2) *Act. Consess. Epp. Umbriae*, m. Novembri 1849, Tit. II, art. 6.

modo cooptabuntur, quo supra de censoribus statuimus. Altero quoque mense statoque die cum Episcopo convenient: quae tractarint, decreverint, ea arcane lege custodient. — Officii munere haec sibi demandata habeant. Modernismi indicia ac vestigia tam in libris quam in magisteriis pervestigent vigilanter; pro cleri iuventaeque incolumitate, prudenter sed prompte et efficaciter praescribant. — Vocum novitatem caveant meminerintque Leonis XIII monita (1): *Probari non posse in catholicorum scriptis eam dicendi rationem, quae, pravae novitati studens, pietatem fidelium ridere videatur loquaturque novum christiana vitae ordinem, novas Ecclesiae praeceptiones, nova moderni animi desideria, novam socialem cleri vocationem, novam christianam humanitatem, aliaque id genus multa.* Haec in libris praelectionibusque ne patiantur. — Libros ne negligant, in quibus piae cuiusque loci traditiones aut sacrae Reliquiae tractantur. Neu sinant eiusmodi quaestiones agitari in ephemericibus vel in commentariis foventae pietati destinatis, nec verbis ludibrium aut despactum sapientibus, nec stabilibus sententiis, praesertim, ut fere accidit, si quae affirmantur probabilitatis fines non excedunt vel praejudicatis nituntur opinionibus.

» De sacris Reliquiis haec teneantur. Si Episcopi qui uni in hac re possunt, certo norint Reliquiam esse subditiciam, fidelium cultu removeant. Si Reliquiae cuiuspiam auctoritates, ob civiles forte perturbationes vel alio quovis casu, interierint; ne publice ea proponatur nisi rite ab Episcopo recognita. Praescriptionis argumentum vel fundatae praeumptionis tunc tantum valebit, si cultus antiquitate commendetur; nimur pro decreto anno M DCCC XCVI a sacro Consilio indulgentiis sacrisque Reliquiis cognoscendis edito, quo edicitur: *Reliquias antiquas conservandas esse in ea veneratione in qua hactenus fuerunt, nisi in casu particulari certa adsint argumenta eas falsas vel suppositias esse.* — Quum autem de piis traditionibus iudicium fuerit, illud meminisse oportet: Ecclesiam tanta in hac re uti prudentia, ut traditiones eiusmodi ne scripto narrari permittat nisi cautione multa exhibita praemissaque declaratione ab Urbano VIII sancta; quod etsi rite fiat, non tamen facti veritatem adserit, sed, nisi humana ad credendum argumenta desint, credi modo non prohibet. Sic plane sacrum Consilium legitimis ritibus tuendis, ab hinc annis XXX, edicebat (2): *Eiusmodi apparitiones seu revelationes neque approbatas neque damnatas ab Apostolica Sede fuisse, sed tantum permis-sas tamquam pie credendas fide solum humana, iuxta traditionem quam ferunt, idoneis etiam testimoniis ac monumentis confirmatam.* Hoc qui teneat, metu omni vacabit. Nam Apparitionis cuiusvis religio, prout factum ipsum spectat et relativa dicitur, conditionem semper habet implicitam de veritate facti: prout vero *absoluta* est, semper in veritate nititur, fertur enim in personas ipsas Sanctorum qui honorantur. Similiter de Reliquiis affirmandum. — Illud demum Consilio *vigilantiae* demandamus, ut ad socialia instituta itemque ad scripta quaevis de re sociali assidue ac diligenter adiligant oculos, ne quid in illis modernismi lateat, sed Romanorum Pontificum praceptionibus respondeant.

» VII. Hace quae praecipimus ne forte oblivioni dentur, volumus et mandamus ut singularum dioecesum Episcopi, anno exacto ab editione praesentium litterarum, postea vero tertio quoque anno, diligenter ac iurata enarratione referant ad Sedem Apostolicam de his quae hac Nostra Epistola decernuntur, itemque de doctrinis quae in clero vigent, praesertim autem in Seminariis ceterisque catholicis Institutis, iis non exceptis quae Ordinarii auctoritatibus non subsunt. Id ipsum Moderatoribus generalibus ordinum religiosorum pro suis alumnis iniungimus.

(1) Instruct. S. C. NN. EE. EE. 27 Ian. 1902.

(2) Decr. 2 Maii 1877.

» Haec vobis, Venerabiles Fratres, scribenda duximus ad salutem omni credenti. Adversarii vero Ecclesiae his certe abutentur ut veterem caluminiam reflicant, qua sapientiae atque humanitatis progressioni infesti traducimur. His accusationibus, quas christiana religionis historia perpetuis argumentis refellit, ut novi aliquid opponamus, mens est peculiare Institutum omni ope provectum, in quo, invictibus quotquot sunt inter catholicos sapientiae fama insignes, quidquid est scientiarum, quidquid omne genus eruditio, catholica veritate duce et magistra, promovetur. Faxit Deus ut proposita feliciter impleamus, suppetias ferentibus quicunque Ecclesiam Christi sincero amore amplectuntur. Sed de his alias. — Interterea vobis, Venerabiles Fratres, de quorum opera et studio vehementer confidimus, superni luminis copiam toto animo exoramus ut, in tanto animorum discrimine ex gliscentibus undeque erroribus, quae vobis agenda sint videatis, et ad implenda quae videritis omni vi ac fortitudine inveniatis. Adsit vobis virtute sua Iesus Christus, auctor et consumator fidei nostrae; adsit prece atque auxilio Virgo immaculata, cunctarum haeresum interemptrix. — Nos vero, pignus caritatis Nostrae divinique in adversis solitum, Apostolicam Benedictionem vobis, cleris populisque vestris amantissime impertimus.

» Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die VIII Septembris M CM VII, Pontificatus Nostri Anno quinto.

PIVS PP. X ».

DIARIUM VATICANUM

(Die XXI mens. Aug. - d. XXI mens. Sept. M DCCCC VII)

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites, aliosque viros qui sui quiske munera gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Iosephus Aversa, archiepiscopus Sardian., legatus apostolicus ad insulas Cuba et Porto Rico; Hiacynthus M. Cormier, Magister generalis Ord. S. Dominici; Dominicus Murray, episcopus Issen., vicarius apostolicus Cookopolitan. in Australia; Michael a Carbonara ex Ordine Capulatorem, Prefectus apostolicus Erythraeae; Ignatius Pica, praepositus generalis Congregationis S. Pauli Apostoli vulgo *Barnabitarum* recens electus cum consilio suo; Carolus Caputo, archiepiscopus Nicomedien. ex Bavaria redux, ubi Apostolici Nuntii munere functus est; Michael Martins d'Antas, Lusitanorum legatus apud Apostolicam Sedem.

Pontificiae electiones.

Caietanus Pizzi episcopus Laquedonien. creatur; Carolus Falcini, Episcopus Arethusius, ad dioecesim S. Miniati transfertur; Albertus Del Corona ad metropolim Sardicen. promovetur.

— Nicolaus Ciceri, Vicarius apostolicus Kiam-Si Medion. dicitur.

— Dominicus Taccone Gallucci, episcopus Nico-trien. et Tropien., inter iudices S. Congregationis Concilii Tridentinis decretis interpretandis adsciscitur.

Vita functi viri clariores.

Die XXIV mens. Augusti, Montisgalli in oppido ad Asculum Picenum, ubi natus erat die XIX mens. April. M DCCC XXXVIII, repente morbo corruptus, Aemidius Taliani, Purpuratus Pater, quandam apostolicus Nuntius Vindobonae et archiepiscopus Se-basten, in S. Senatum cooptatus d. XXII mens. Iunii an. M DCCCC III.

— d. XXIX, Burgi S. Domini, Petrus Torroni, illius dioecesis episcopus ab anno M DCCCC III, Gui-

nadi in oppido dioeces. Apuan. n. d. XXI mens. In
nii M DCCC XLVIII.

Die XVI mens. Septembr., Nortantonii, Arturus Riddell, illius dioecesis episcopus, in dioecesi Medio-burgen. natus d. XV mens. Septembr. M DCCC XXXVI, episcopus elect. d. XXVII mens. April. M DCCC LXXX.

Varia.

Die XVI mens. Septembr. Pontificiae encyclicae litterae *Pascendi dominici gregis* de Modernistarum doctrinis vulgarantur.

ANNALES

Mauritana res.

Mauritana res est equidem unicum argumentum, quod his diebus omnium hominum mentes animosque ad se converterit; neque inopinatorum eventum exspers fuit. Dum enim Drude imperator novas e Gallico gubernio copias flagitat, quibus alacrius munere suo fungi queat, obstant vero Galli, Marrakesch in Mauritanorum templo Muley el Hafid, contra regnante fratrem Muley Abdul Aziz, Caesar creator, qui canalicolarum ferme et eorum qui exteris gentes acerrimo odio prosequuntur auxilio, « bellum sanctum » longius vehementiusque perducat. Ita factum est ut novi impetus in Casablanca urbem renovati sint, quorum in altero, die IIII mens. Septembribus, Prevost dux mortem invenit. Aucto vero tandem Gallorum exercitu ad sex millia hominum, alia ratione ac prius bellum geri coeptum; non enim una defensione Drude imperator operam suam finivit, ut praefatam urbem tueretur, sed latius proferens, Taddert ad oppidum tetendit, eoque potitus est. Induciae hinc petita, inde tribuum aliquot ditiones oblatae; quae tamen reiecta sunt, tum ob Arborum fidem satis cognitam, tum quia vim suam non facile superrandam ostendere apud illos suprema observantiae lex.

Ut vero interna Mauritani imperii quies restitu possit, quae Europeanum gentium in votis est, multum pro certo tempus consumetur, multumque sanguinis heu! profluet.



Haganus de pace conventus.

Hagani conventus notae probe inter se similes sunt; verba, verba, praetereaque nihil!

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

In Anglia regiis litteris, quae coetus labores breviter complectebantur atque optimas politicae rei rationes cum exteris populis perpendebant, coetus sessiones intermissae.

In Batavia contra, regali oratione, florentes omnino civitatis condiciones enuntiante, resumptae.

In Russia ad tertiam « dumam » constitutam comitia haberi copta.



PER ORBEM

Die XXII mens. Augusti M DCCC VII Lugduni obit r. p. Planque, rector Societatis Missionum Africanarum.

— d. XXV, Contras inter Burdigalam et Lutetiam Parisiorum, currum series vapore actorum in alteram occurrit. Mortui inde viatores undecim; plures vulnerati.

— d. XXVII Hakodate, Iaponiorum urbs, maxima ex parte igne absunitur.

— d. XXIX Hamaud-Cin-Mohamed, regionis Zanzibar Caesar, Neapolim appellit.

— d. XXX Portu Calensi in urbe dum in aedibus diurni commentarii *Noticias sortito* quedam fit, aulae solum corruit, homines octuaginta sepeliens aut vulneribus afficiens.

Quebec, in urbe Canadensi, novus ferriviae pons, nimio currum delabentium pondere, praecepit, viatores ad quinquaginta in ruinam misere trahens.

— d. XXXI, Teheran, Atabek-Asam, Persarum administer primus, nefarie interimitur.

Die I mens. Septembribus, Brixiae, dum rhedae automobiles cursu certant, hominum iacturae lugentur. Ad Magentam pariter marchionis Pallavicini automobilis currus ferriviae occursens, cum viatoribus diripitur.

— d. II Tergeste Slovenorum graves motus in Italos nunciantur.

— d. III Odessae praedatorum manus, qui « Centum nigrorum » cognomen sibi addixerunt, israelitas et iuvenes scientiae vacantes atrociter passim grassatur.

Antuerpiae, operarii ex condicto a labore recedentes seditiones excitant atque incendia. Vis vi repellitur.

— d. IV, Bergen in oppido, supremum obit diem, Eduardus Grieg, celebrissimus Norvegorum populi symphoniacus.

— d. VII, Châtenay in suburbano suo, fato concedit Renatus Franciscus Armand, inter Gallos poetas praeclarus, Sully Prudhom cognomine apud omnes notus, Parisiis n. d. XVI mens. Martii M DCCC XXXIX.

— d. IX Monachii XVI conventus omnium gentium pro pace inauguratorum.

— d. X Vancouver, Canadensi in urbe, hostiles motus in Iaponios renovantur.

— d. XIV Carlsbad in oppido vita fungitur Augustus, e Coburgensi gente princeps.

— d. XV Ligurni, decussans, prouti vulgo dicitur, Italorum navis « Pisae » feliciter in mare immittitur.

In castello suo apud Campinam duos supra septuaginta annos natus naturae concedit Bogdau Petriceich Hashden, philologus et historicus, Rumenorum doctorum quasi gemma fulgens plerumque habitus. Plurima quidem scripsit, inter quae *Etymologium* illud *Magnum*, quod vero malo fato inabsolutum reliquit.

— d. XVI novum ex ferriviis infortunium in Canada fit, ubi viatores ad viginti mortem operunt, quadraginta vulnerantur.

Plures amicos re secunda comparas;
Paucos amicos rebus adversis probas.

PITTACUS.

LIBRORUM RECENSIO

P. TITO MONTESANO, lett. gen. O. F. M. — *Sintassi Latina - Corso Superiore*. — Hierosolymae de. off. PP. Franciscalium, 1907. — (Ven. lib. 4,50).

Auctor hunc librum pro discipulis scripsit qui, in discenda lingua latina, morphologiam cum principiis generalibus syntaxeos iam absolverunt. Ille igitur ulteriores ac potiores syntaxeos regulas evolare prosequitur, quas quidem copiosis exemplis ex auctoribus classicis illustrat. Neque etiam omittit exempla subinde depromere ex Sacra Scriptura: quod in auctore, Hierosolymis scribente, nemo sane reprehendet, quin potius laudabit.

Ratio, quam auctor sequitur, egregia esse videtur. Agit in prima parte de propositionibus deque earum relatione cum suis terminis essentialibus (subjecto et praedicato) atque earumdem complementis. In secunda parte, easdem propositiones considerat quantum aliae ab aliis dependent, et periodos efformant, in quibus sententiae primariae et secundariae inter se coordinantur. Atque hac ratione auctor commode suam materiam logice distribuit et naturali ordine distributam discentium memoriae facilius commendat.

Volumen sat amplum nitidis et grandioribus litteris excusum est: quae litterae, si quid discipli mentem specialius ferire debet, aut crassiores aut italicicas adhibentur.

Inter libros, quae Syntaxem latinam copiosius evolvunt, volumen Montesanii non ultimum profecto locum tenet. Italis illud peculiariter acceptum erit, quod discrimina passim notat, quae inter Italorum et Latinorum sermonem intercedunt.

FRANC. X. REUSS.

AENIGMATA

I.

In primis tutas do vobis omnibus escas;
Nilque deinde, nisi circulus esse quo.
Nos sumus uniti romanae gloriae linguae:
Est vir quem dixit libera Roma pater.

II.

Non pater aut princeps est, nec prior absque priore Exsulet hic *primus*: prior est et imperat alter,
Quem tamen interdum *totus* quit vincere inermis.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

POETARUM LATINORUM EGLOGAE.

(Edid. BRANDT Lipsiae ex off. Teubneriana).

Aenigmata an. X, n. VII proposita his respondent:

1) Larva; 2) Remus.

Ea rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus. — Henr. Tarallo; Vinc. Starace, *Neapolis*. — F. Arnori, *Mediolano*. — I. Ortiz, *Morelia*. — Collegium Iosephinum, *Valsio*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — Fr. Bonaventura, *Aterno*. — Salv. Casagrandi S. I., *Augusta Taurinorum*. — Rich. Lefebre, *Parisiis*. — F. Guerra, *Aetlio*. — Alois. Cappelli, *Senis*. — Rich. Müller, *Berolino*. — L. Walter, *Neo-Eboraco*. — Ioan. Rappel, *Aureliano*.

Sortitus est praemium:

Fr. BONAVENTURA,
ad quem missum est opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI
DE ORATORIBUS ROMANIS
ACROASIS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina *Patris*, Phil. Cuggiani.

ZENO — Tragoedia JOSEPHI SIMONIS Angli.

(21)

(Passim retractavit hodiernisque scenis aptavit I. F.)

SCENA ULTIMA.

ZENO, UMBRAE.

ZEN. (1) Nondum revectus axe lucescit dies?
 Nox furva! Nox opaca! Quis ferri rigor
 Incubat in artus? An catenarum domat
 Immane pondus? Friget attactu chalybs.
 Specus? Specus nigrore formidabilis!...
 Adeste, proceres!... Nemo Zenonis timet
 Furias morando?... Frater, huc frater manum!...
 Sebastiane!... Procle!... Tartareos lacus
 Testor, revellam capita. Sic trahitis moram
 Vocante rege?... Miles, accelera gradum!...
 Adeste, ephebi!... Nullus Augustum levat?...
 Ubi sum?... Sub umbra Ditis, an sub horrido
 Telluris antro, ubi mortis aeternae sedet
 Imago; noctis horror et nigri quies
 Famula silentii?... Frater, o frater! Stygem
 Si luce cassus teneo, cur cessant faces
 Ultoris ignis? Flagra cur furiae tenent?
 Vos monstra barathri, torva geniorum cohors,
 Vulgus Acherontis, spectra pallentis plaga,
 Adeste! Adeste, cingite Augusti latus!...
 Late silescunt omnia.... O dubiam vicem!
 Ubi sum? Vigilne spiro? An elusum sopor
 Sollicitat umbris? Dira Zenonis mala!
 Umbrae nocentes! Sominus o nimium gravis!
 Longine!...

UMBRA LONGINI. Fratris desine infausto sono
 Urge manes; me premit lethi sopor.
 Dedimus bipenni colla; tu tumulum tenes,
 Sepultus ante funus. Age, diram eiice
 Festinus animam; te moror, sotum domos,
 Nisi, duce te, subire me iudex vetat.

ZEN. Sic fata vertunt? Vivus in tumulo? Heu nefas,
 Nefas Tonantis! Zeno, terrarum potens,
 Frenator orbis, lapide sub nigro iacet,
 Sepultus ante fata?... Populares, opem!...

(1) Credit se in lecto evigilare.

Eripite regem!... Claustra funereae domus
 Diruite; vasto sternite fragore omnia.
 Properate!... Nemo tendit Augusto manum?
 Desertus! Heu desertus!... Exclusus polo
 Soloque iaceo!... Informe pro lethi genus!
 Erepta regna; frater extinctus; procul
 Famuli; sepulcro Caesar angusto iacet!...
 Nox horret, urgent vincula, corredit fames,
 Frigus remordet, spiritum exhaustit vapor,
 Tremiscit animus, mille vulturibus iecur
 Tunditur iniquae mentis ac vitae reum.
 Crudele caelum! (1) Monstra sine luce intuor.
 Pelagius! Atra specha! Pelagi, amove.
 Vultus tremendos!... Fateor, insontem neci
 Dedi.... Quid urges? Sanguine exuror tuo....
 Desere sepultum!... O mole si fracta ruat
 Orbis! Vetustum cuncta si repetant chaos!
 Nec sit, flagello sclera qui plectat, Deus!
 Mors atra, mors horrenda, mors atrox, veni!...
 Aura.... aura!... Anhelos aura destituit sinus....
 Stygiae sorores!... Aura!... (2)

UMBRA BASILISCI. Sub ripa Stygis
 Captabis auram; funde sceleratam animam!...
 Haec fata regum. Tollit ambitio gradum,
 Quem sors ruina sternat. Imperio impotens
 Exurgit animus, inque sydereas volat
 Superbus arces, unde sub Stygis vada
 Ultima relapsus, solvat aeternum nefas.
 Testis cruenta fronte sanguineum undique
 Caedis theatrum, quantum effluxit crux,
 Ut aestuantem Caesarum expleret sitim.
 Solvere tandem mentis immodicae vicem:
 Corruit uterque; iamque sub Erebum dati
 Mecum aeviternas criminum poenas launt.

FINIS.

(1) Pelagii umbra appetet.

(2) Vacillat aliquantum, deinde corruit in terram, moriens praef

Ad proximum numerum:

TARCISIUS

Actio dramatica, XIII scenis distributa, quam pro commentario *Vox Urbis* scripsitIOANNES BAPTISTA FRANCESIA
(*Subalpinus*)

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
Comm. VOX URBIS in an. MDCCCCVII.

Pretium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80;
ubique extra Italiam Libell. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5;
Rubl. 3; Coron. 6,25 *recto tramite* mittendum ad

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM
COMMENTARII "VOX URBIS", POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM
ROMAM, via Alessandrina, 87.

- PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA:
- Ex subnotatoribus quisque KALENDARIO a *Voce Urbis* expresse edito fruetur.
- Qui socios novos comparaverit duos pretiumque eorum subnotationis miserit, subnotationem gratis omnino sibi habebit.
- Qui triginta socios novos comparaverit ante Iulium mensem - bibliopolis exceptis - dimidiatum pretium itineris habebit a quovis Europae loco ubi vivat Romam usque, atque inde in domum suam, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.
- Qui sexaginta socios novos comparaverit uti supra, eodem iterere gratis omnino fruetur.

Kalendis Ianuariis MDCCCCVII "cumulativa", subnotatio instituta est inter comm. *Vox Urbis* et Romanum diarium *Corriere d'Italia*.
Ven. in Italia lib. 81; apud exteras gentes lib. 34,50.